deratorum reliquorumque magiſtratuum ſtatu in ſacra noſtra conſtitutione, ea omnia & in illo locum habeant. §. 2. Sane ſi dictus devotorum Tertiodelmatorum [1] numerus noſtro juſſu in alia transferatur loca, alterum illi *in ejus locum* ſurrogatum & ſubjiciendum curabimus: ut ne quid ex ſolenni plenoque auxilio omnino illi deſit. In his porro jam dictis rebus ſpectabilis dux nihil communionis habebit. Nolumus enim, quicquam illi commercii eſſe aut cum militibus ſpectabili moderatori certo aſſignatis, aut cum plebeiorum quoquam, aut cum illorum controverſiis quas inter ſe habuerint: aut ſi cui plebeiorum, in quos illi nullum jus conceſſimus, dica impingatur: propterea quod inter rei militaris curam & civilem adminiſtrationem permultum intereſt, ac diſcerni hæc oporteat, quemadmodum patres reipublicæ id nobis ordinarunt, & conſtituerunt. Ac ſciant ſpectabiles duces, quod ſi rebus civilibus ſe ingerere [2] audeant, militarem magiſtratum non retinebunt, & huic magiſtratui ſubjiciendi erunt. In nulla namque re inferiorem hunc magiſtratum ducis magiſtratu eſſe volumus. Volumus inſuper ut (quomodo dictum eſt [3]) quam vehementiſſime publicarum contributionum exactioni incumbat, plebisque incolumitati invigilet, & ne ſpectabilibus ducibus, neque clariſſimis tribunis, neque cuiquam potentium domuum, imo ne ſacro quidem noſtro patrimonio, aut ſacris noſtris privatis, aut ſacræ noſtræ domui, qualecunque tributariis noſtris damnum inferre permittat: ut ne etiam demiſſo animo neque pavidus ſit, ſed virilem in modum ſubditis præſit, omniaque faciat quibus alii moderatores ex præſcripto obſtricti ſunt. Atque ita *quidem* rerum ſumma ab ipſo adminiſtretur.

CAP. III.

ILlud ſane etiam fieri & obtinere volumus, ut ſpectabiles duces [4] inde annonas auferant, unde ſpectabilis provinciæ moderator eas auferendas conſtituerit: propterea quod manifeſtum ſit eos non tam ſocorditer ad res animum adverſuros eſſe, ut quæ ſibi competant, petere non poſſint. Sciant vero, quod ſi præter hæc quippiam fecerint, viginti librarum auri mulctam perfundent.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram declarantur legem, excellentia tua effectui & fini tradere ſtudeto.

EDICTUM V.

DE [5] TEMPORE [6] ACTIONUM QUÆ SACRIS LOCIS COMPETUNT.

PRÆFATIO.

QUod [7] medicamenta morbis, hoc jus præſtat controverſiis, & cætera.

EDICTUM VI.

EDICTUM PIENTISSIMI DOMINI NOSTRI JUSTINIANI [8].

PRÆFATIO.

COgnovimus, quomodo poſt caſtigationem Domini Dei benignitate immiſſam, qui negotiationes & ludos [9] literarios exercent; diverſi etiam generis artifices & agricolæ, inſuper & nautæ, cum potius meliores fieri deberent, lucri cupiditati ſe dederint, & duplicia tripliciaque pretia ac mercedes præter veterem conſuetudinem requirant.

CAP. I.

VIſum igitur eſt per ſacrum edictum omnibus interdicere deteſtandam iſtiusmodi avaritiam, & ne quis in poſterum cujuscunque diſciplinæ aut artis magiſter, qualiscunque etiam negotiationis negotiator, qualiscunque demum agriculturæ agricola, quam vetus conſuetudo ferat [10] plus pretii mercedisve nomine exigat. Jubemus vero etiam, ut ædificiorum, & colendæ terræ, aliorumque operum menſores nihil amplius operariis imputent, & illis antiquam conſuetudinem conſervent. Hæc autem obſervari jubemus, & eos qui qualiacunque opera demandant, & eos qui aliqua redimunt. Si quidem nec ipſis amplius quam more conſtitutum ſit, dare concedimus. Sciant vero qui quicquam amplius quam pro veteri conſuetudine requirunt, quod triplicem quantitatem in fiſcum inferre cogentur, ſi ſupra id quod ab initio conſtitutum fuerit, cepiſſe illos quicquam aut dediſſe oſtenſum ſit. Hæc porro inquiri ac vindicari jubemus & ab excellentia tua, & a glorioſiſſimo felicis hujus urbis præfecto. Volumus enim per vos ab hujus noſtri edicti transgreſſoribus conſtitutam mulctam exigi pœnisque illos ſubdi: ita ut quæ nobis parent cohortibus, quinque librarum auri mulcta incubitura ſit, ſi quid ex iis quæ a nobis conſtituta ſunt, neglectum fuerit. Dat. 2. Kal. April. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Auguſt. poſt [11] BELIS. V. C. CONS.

EDICTUM VII.

FORMA PRAGMATICA DE ARGENTARIORUM [12] CONTRACTIBUS.

In nomine Domini Jeſu Chriſti Dei noſtri.

Imperator Cæſar Flavius Juſtinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, triumphator, omni ævo adorabilis, Auguſtus.

PRÆFATIO.

QUemadmodum virtutis vis in rebus adverſis ſemper elucet, ita etiam imperatoria cura & gubernatio in ſubditorum controverſiis manifeſta fit. Et optandum [13] quidem nobis eſt, ne quid unquam reipublicæ noſtræ adverſi eveniat: verum ſi aut rerum humanarum mutabilitas, aut commota ad id divina voluntas mortalibus mala immittat, deſuper benigne inducta caſtigatio Imperatoriæ curæ benignitatisque occaſio fit. Quod ſane hoc tempore *ita evidenter* accidit, ut opus expoſitione non ſit. Cum enim mortis aculeus & periculum omnia loca pervagata ſint, quod quisque ſenſit, nemini audire neceſſe eſt. Quando itaque multa ex improviſo inciderunt, quæ non temere tempus aliud induxiſſet, qui in corpore ac collegio argentariorum recenſentur, nos acceſſerunt, dicentes [14], heredes nonnullos ac ſucceſſores quorundam, qui ſcriptura non interveniente ab argentariis aurum, aut argentum etiam, aut alias ſpecies accepiſſent, ad perfidiam improbitatemque ſpectare: quod videlicet neque qui ceperunt, ſupereſſent, neque ipſi heredes ſive ſucceſſores, cum contractus conſcripti non ſint, convinci poſſint.

CAP. I.

HUic igitur rei mederi conantes, ſtatuimus, ut qui ad hunc modum judicium ſubeunt, oculis in conſcientiam [15] defixis, expreſſe ac plene quæ illis, in quorum bona & jus ſucceſſerunt, ab argentariis data ſint, confiteantur: ut etiam *qui adhuc* ſuperſtites *ſunt*, ejus collegii [16] quod ipſis actionem intendit, argentariis idipſum faciant. Idem etiam a ſervis, qui ab iisdem judicibus examinantur, fieri jubemus. Sciat vero utraque pars, ſi miniſtrorum teſtimonio, aut quæ cum jurejurando fiat, diariorum productione, aut alia etiam aliqua ſufficienti probatione res convincetur, quod qui improbe egerint, quæ fraudulenter & per improbitatem negaverint, in duplum [17] dependent, ſive rei veritatem occultaverint, ſive illam cognoſcere neglexerint.

CAP. II.

ALterum ad nos ab ejusdem corporis argentariis relatum caput eſt, ut ne teneantur quæ ab illis cum quibus contraxerunt, confeſſiones, tabulæ, aut ratiocinia ipſorum manu conſcripta, ſibi exhibita ſunt, poſteaque in dubium devocantur, iſta ipſi per publicorum inſtrumentorum collationem probare: propterea quod ipſorum collegium multis, & præcipue nobilibus credat, qui contractus ſuos publicari [18], aut ſtatum [19] rerum ſuarum manifeſtum fieri non ſuſtinent, maluntque (ut conſentaneum eſt) divites quam obærati aliis videri, ſed ut propria manu (ut dictum eſt) in ſe conceptæ literæ eandem cum publicis inſtrumentis vim obtineant. §. 1. Et in hoc mediam [20] quandam nos viam ingreſſi, qua & argentarios adverſus eos qui de talibus capitulis litem movebunt, & rurſus hos adverſus illos uti volumus, ſtatuimus, ut ſi iſtiusmodi illorum qui contraxerunt propria manu ſcriptas literas argentarii proferant, quas aut ipſe cujus eſſe dicuntur, aut ipſius heredes ſucceſſoresve non poſſunt cum jurejurando abnegare, tanquam *procul dubio* ab illo cujus præ ſe nomen ferunt, ſcriptæ ſint, numeratam pecuniam [21] non eſſe opponi nequeat. Inſuper vero ſi argentarius ex [22] publico inſtrumento propriæ manus [23] ſcripturam confirmare poſſit, aut ipſe quidem id negligat, adverſarius vero ex alterius publici ſcripti comparatione ſcripturam illam ut falſam redarguere nequeat: tunc ex inſtrumentis, quæ illorum manu *de quibus agitur*, conſcripta eſſe certo conſtat, & teſtium ſubſcriptione ſtabilita ſunt, ad ea *eorundem* ſcripta quæ ab argentariis, aut adverſus eos ab iis qui contraxerunt, proferuntur, comparatio fiat, firmaque ſint, nec minorem quam publica inſtrumenta vim & autoritatem habeant, non ex firmitate & vigore qui illis inſit, ſed ex ſola forma. Nihil etiam præjudicii in hoc ſupplicibus ſit, quod in ſcripto ab iis qui contraxerunt ipſis dato, hypothecæ, aut heredum ſucceſſorumve nomina non [24] inſint.

CAP. III.

EJusdem porro corporis argentarii ſimiliter etiam qui cum illis contrahunt, dummodo ſimiles adverſus illos actiones moveant, facultatem habebunt, ut ſi qui defuncti propter inopiam heredes non habuerint, debitores vero reliquerint, aut res aliquæ quæ ad ipſos pertineant, apud aliquos depoſitæ oppignoratæve inveniantur: adverſus illos competentes actiones moveant, & ex illis ſatisfactionem ſibi parent. Idem etiam ipſis in bonis illorum qui cum ipſis contraxerunt, & debent, dum illi adhuc vivunt, ſervabitur, ut ipſis, ſive actores, ſive rei ſint, ſi velint, tametſi in inſtrumentis hypothecæ nulla mentio inſit, hypothecarias tamen actiones movere liceat: quaſi eæ naturaliter [25] argentariorum, eorumque qui cum ipſis contrahunt, contractus comitentur. Habebunt vero id etiam, ut tempore poſterioribus creditoribus præferantur. Non æquum enim eſt, a noſtrorumque temporum juſtitia alienum, eos qui bene de aliis merentur, rebus ſuis privari: qui vero debent, ſuperbire de alieno.

CAP. IV.

ILlud ſane etiam in illorum ſubſidium adjicimus. Quoniam enim quæ ab ipſis ineuntur contractibus, vehementer novella noſtra [26] lex repugnat, quæ jubet ne creditores adverſus eos qui aliquid a debitoribus emerint, prius judicio agant, quam principales debitores per ceſſionem bonorum non ſolvendo eſſe conſtet, (id quod admodum illis grave & moleſtum fuit, propterea quod qui emunt, velut ex conſuetudine quadam & *ob evictionem* [27] fidejuſſores quærant,

1 Τερτιοδελμάτων ut *ſupr. hoc tit.* officiales ac domeſtici moderatoris Phœniciæ Libanicæ fuiſſe videntur, audivi, qui diceret, Syriaca lingua *Terſita dalmin*, ſignificari ſtipatores, a *Terſita*, id eſt, clypeis & *Almin*, id eſt graſſatoribus: ut Tertiodelmati milites fuiſſe videantur, graſſatoribus prehendendis deſtinati. Idque colligi ex 1. *Reg.* 10. *v.* 17. & 14. *v.* 26. ubi fit mentio Clypeorum in domo Libani repoſitorum: quod huic Edicto non abludit, quod eſt de Magiſtratu Phœniciæ Libanicæ. 2 Vid. *l.* 1. *C. de off. magiſt. milit. l.* 1. *C. de off. milit. Jud.* eſt enim abſurdum jurisdictiones miſceri. 3 §. 1. *ſupr. hic.* 4 Militum ſcil.

5 Περὶ λιτιγιώσων καὶ περὶ ἀσφαλείας ἣν δεῖ ποιεῖν τοὺς ἐνάγοντας περὶ τῆς τῶν ἐναγομένων ὑπομνήσεως. *Scrimg.* vitioſa eſt hæc inſcriptio, nec titulo convenit. quod etiam obſervavit Cujacius 5. *obſ.* 5. *in fin.* 6 Hæc conſtitutio inter Juſtiniani conſtitutiones eſt 111. 7 *d. Novell.* 111.

8 De formula artificum, idque edictum reperitur inter Novellas Juſtin. *Novell.* 122.

9 Τὰς μεθοδείας, id eſt, conventus hominum, mercatus, ut *Nov.* 122.

10 *d. Novell.* 122. *cap.* 1. 11 Id eſt, anno 536.

12 Ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων, Scrimger. adde *Edictum* 9. J. *hic* & *Novell.* 136. 13 Juſtinianus in hoc Caligulæ diſſimilis eſt. Is enim ſolebat queri de conditione ſuorum temporum, quod nullis calamitatibus publicis inſignirentur: Auguſti principatum clade Variana: Tiberii, ruina ſpectaculorum apud Fidenas memorabilem factum: ſui oblivionem imminere proſperitate rerum. Ideoque identidem exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. Sueton. *in Calig. c.* 31. 14 Occaſio hujus Edicti. 15 Et merito; nullum enim maleficium ſine formidine eſt: quia nec ſine conſcientia ſui. Tertull. *adverſ. Marcionem.* Conſcientia mille teſtes. Quintil. 5. *Inſtit.* 11. 16 Collegia argentarii habuere, *hic* & *cap.* 5. J. *hic. edict.* 9. J. *eod.* & *paſſim.* quod omnibus non licuit, *l.* 1. *ff. quod cujuscumque Univerſitatis.* 17 Inficiator proprii chirographi dupli pœna punitur.

18 Δημοσιεύεσθαι. *Scrimg.* Plerumque honeſtiores viri, licet ipſi contrahant, ſervorum, quam ſua nomina malunt inſtrumentis publicis inſcribi, *l.* 5. §. 4. *ff. de auctor. tutor.* Ideoque recte conſtitutum eſt, ut ſi ſcriptum ſit, ſervum feciſſe ſtipulationem, adverſus eam ſcripturam teſtes non admittantur *l. pen. Cod. de contrah. ſtipulat.* 19 Vid. *l.* 2. *Cod. de alimentis pupillo præſtandis.* 20 Medium tenendum *l.* 6. §. 3. *ff. de off. præſid. l.* 3. *ff. ſi pars hered.* §. 25. *verſ.* & *poſt multa, Inſt. de rerum diviſ.*

21 Exceptionem non numeratæ pecuniæ Græci vocant ἀναργυρίαν *hic.* adde *Nov.* 136. *cap.* 6. 22 *Nov.* 49. *c.* 2. *Nov.* 73. 23 Τὸ ἄγραφον. interpres hic legiſſe videtur ἰδιόχειρον, de quo in *l.* 11. *C. qui potior.* 24 Hoc enim contractibus ſolet inſcribi, ut debitoris ejusdemque heredum bona creditoribus ſint obnoxia. 25 Φύσει Argentarii crediti nomine tacitam habent hypothecam. 26 *Novell.* 4. 27 Evictionis cauſa fidejuſſores accipere ſolemus, *l.* 4. *l.* 37. *ff. de evict.*

& aliam [1] ſibi omnem ſecuritatem parent: ipſis vero id neque conſuetudo, neque in conficiendis contractibus celeritas permittat) per præſentem ſacram pragmaticam formam, eam ſpeciali munificentia ipſis elargimur, quæque alteri perſonæ, collegio, corpori, aut officio nullo modo competat, ſtatuimus, ut & ipſi & qui cum ipſis contrahunt, quando adverſus ipſos actiones inſtituunt, in inquirendis perſequendisque rebus in quibus ipſis tempus prærogativam præbet, tali privilegio [2] utantur, quale ante legis noſtræ lationem habuerunt: ut probatione debitores bonis ceſſiſſe non gravati, ſiquidem ſatisfactionem a principalibus conſequi nequeant, adverſus res ab illis abalienatas, & ex ſpeciali generalive hypotheca ipſis obnoxias, in quibus, (ut dictum eſt) antiquius quam alii creditores jus habent, actionem movere poſſint. Exiſtimamus enim, quæ prædicto argentariorum corpori, & qui cum ipſis contrahunt, conceduntur, in communem [3] ſe beneficentiam extendere: ideo quod illi non paucis quibuspiam, ſed omnibus ferme quæ in univerſa republica fiunt contractibus miniſterium præſtent.

CAP. V.

HOc quoque illis ad petitionem ipſorum concedere viſum eſt: Ut quando dicam aliquibus impingunt, & ad promiſſionem decimæ [4] partis adiguntur, ne ab illis fidejuſſiones exigantur, ſed ſufficiat ipſorum hac de re factum promiſſum: quippe qui digni ſint quibus per [5] ſe credatur, cum ipſorum fides & pro aliis ſufficere exiſtimetur. Illud manifeſtum ſit, quod ſi legi ſuccubuerint, nihil illis proderit fidejuſſorem non dediſſe: ſed nihilominus decimæ partis pœnam depenſuri ſunt, quemadmodum & qui illos in jus vocant, ipſis. Inſuper & qui ab illis in jus vocantur, ſimilibus pœnis ſubjicientur. Hoc unum diſcrimen in hoc capite fuerit, quod (quemadmodum jamjam dictum eſt) qui e collegio argentariorum actiones inſtituunt, fidejuſſorum datio in decima parte per ſpeciale noſtrum beneficium his condonata & remiſſa ſit.

CAP. VI.

QUoniam vero quod ſupplices ad diverſa tribunalia [6] protrahuntur (idcirco quod eorum qui cum ipſis contrahunt infinitus numerus ſit, & ut contingit, pauci probi ſint & grati) non ſolum ipſis damnum, verumetiam communibus rebus impedimentum inferri compertum eſt: etiam in hac parte priorem noſtram circa illos providentiam imitamur, ac jubemus ut ſpeciales illis judices ſint, ſive in jus vocent, ſive vocentur, & prudentia tua [7], & Petrus glorioſiſſimus ſacrarum noſtrarum largitionum comes, conſularis, & patricius, ut apud utrumque horum movendæ inter ipſos & alios qualescunque controverſiæ, aut etiam apud judices antehac a nobis illis datos ac deinde defunctos jam motæ examinentur, atque brevi finem, qui noſtris legibus conveniat, capiant, & ſupplices prætoriorum vexatione liberati, officio & rebus ſuis vacent: tantoque candidius & libentius ſubditorum contractibus operam navent, quanto minore improbitate & ingratitudine tentantur, aut qui improbi eſſe conantur, iniqua illis damna inferre non ſinuntur.

CAP. VII.

POrro poſtquam & aliam nobis doloſorum hominum fraudem expoſuerunt, denuntiantes, quomodo quidam a dicti collegii argentariis pecunias mutuati aut mutuantes emerint aut emant poſſeſſiones immobiles ſuarum uxorum aliorumve quorumpiam familiarium nomine, quo videlicet generalem illam acquiſitorum acquirendorumque bonorum oppignorationem circumſcribant: nonnulli etiam quæ ſibi debentur, a debitoribus aut in pecuniis, aut omnino in immobilibus rebus recepturi, non in ſuam perſonam, ſed (quemadmodum dictum eſt) aut uxorum, aut cognatorum iſtiusmodi ſolutionem, ceſſionem, aut venditionem faciendam curent, quo per iſtiusmodi rationem inopiam prætendere poſſint: ipſi vero qui ex dicto argentariorum corpore de illis benemeriti eſſent, hos quibuscum contractum iniiſſe non videantur, in jus vocare nequeant: in hoc quoque capite parem munificentiam argentariis, & qui adverſus ipſos ſimiles controverſias movent, exhibentes jubemus, ut [8] ſi debitorum quempiam dolo feciſſe quominus res ſuas poſſideat, aut jus ſuum clam in alium transtuliſſe demonſtretur, liceat actoribus in rem, aliave legitima actione id factum eſſe oſtendere, adverſusque dictas res, quaſi debitoris ſint, procedere, & undique technis pulſis, indemnitati ſuæ & in debito & in hoc factis expenſis conſulere. Eam autem prudentiæ tuæ memoratique glorioſiſſimi viri diligentiam eſſe ſcimus, ut jam motas, nondum autem finitas, aut in poſterum etiam movendas controverſias ita dijudicaturi ſitis, ut neque ſupplices ex debitorum improbitate aut fallacia injuſtum diſpendium ſubeant: neque innoxii ex iniquis obliquisque commentis importunas everſiones ſuſtineant. Ita vero etiam, ut quæ nuper ipſis petentibus præbita ſunt, rata & inconcuſſa maneant, & quæ per præſentem ſacram noſtram pragmaticam formam liberaliter conceduntur, ad mentis voluntatisque noſtræ ſcopum perficiantur, qui hoc agimus, ut omnes ſubditi recte & non captioſe in negotiis verſentur, & quibus [9] debetur, quod miniſterium reipublicæ negotiis præbeant, quieta vita fruantur, ac neutiquam per improborum machinationes judiciis, quæque inde manant difficultatibus, & diſpendiis implicentur.

CAP. VIII.

CÆterum quod in quoquo dictorum capitum ſpecialiter poſuimus, id in orationis obſignatione & fine generaliter ponere viſum eſt: ut in omnibus prædictis, his qui in prædicto argentariorum corpore recenſentur, eorumque heredibus & ſucceſſoribus [10], *tum etiam illis qui cum ipſis contrahunt, ac eorum heredibus & ſucceſſoribus*, in quibus *rebus* adverſus argentarios actiones movent, æqualia [11] privilegia ſint. Convenit enim, ut utraque pars eam ſimplicitatem integritatemque in contractibus ac negotiis ſuis ſervet, quam ſibi ab altera ſervari velit. §. 1. His demum per præſentem ſacram noſtram pragmaticam formam juſſis & hoc addimus, ut prudentia tua [12] omnesque magni magiſtratus eos qui in prædicto collegio recenſentur, juvent, ut ſive per edicta, ſive per literas, ſive per alium quemcunque conſuetum modum ſervato juris ordine competens ſubſidium conſequantur, poſſitque illis adverſus improbos ſuccurri, neque cogantur & ipſi adverſus alios improbi eſſe, ſed æquos atque bonos ſe illis, qui cum ipſis contrahunt, exhibeant: quippe quum id noſtrorum temporum bonitati univerſæque reipublicæ contractibus, quorum præcipui quique & maxime neceſſarii ſemper per prædictum collegium fiunt, conveniat.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram pragmaticam declarantur formam, prudentia tua, & quicunque alius reipublicæ noſtræ judex, firma ſervato. Supplicibus vero hanc ſacram pragmaticam formam in quocunque judicio, & majori & minori, producendi, illamque recipiendi, ac inde ſubſidium conſequendi facultas eſto: utpote quæ tantam in præſenti propoſito & in prædictis tractatulis vim habeat, quantam in aliis negotiis generales noſtræ leges obtinent. Dat. 5. Kal. Mart. *Conſtantinop.* Imp. DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XVI. poſt [13] BASIL. V. C. CONS.

EDICTUM VIII.

DE PONTICI TRACTUS VICARIO [14].

Idem Imperator Baſſo glorioſiſſimo ſacrorum prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

SUffecturos *civiles magiſtratus* Pontici tractus provinciis exiſtimantes, præpoſitum quondam illis locis *Vicarium* medio poſt tempore inhibuimus [15]: nihil eorum quæ poſtmodum ab illis facta ſunt, commiſſum iri expectantes. Atqui poſteaquam ex rerum experientia cognovimus, in provinciis hiſce homines habitare *latrociniis* & cædibus innutritos, & homines * ferentes ſemper * congregantes & * armis utentes ** & his, effugiuntque in has res conſtitutas pœnas, dum provincias in quibus deliquerint, deſerunt, neque *provincialium* magiſtratuum quisquam ex attributa ſibi provincia egredi audet: ut nos etiam, quanquam perſæpe homines in provinciam emiſerimus, fiſcumque ſtipendiis gravaverimus, nihil tamen amplius effecerimus, quod ad manum is magiſtratus non eſſet, qui auxilium ferre, & iſtiusmodi inſolentiam reprimere poſſet.

CAP. I.

REvocare *Vicarii* magiſtratum viſum eſt, & Galatiæ [16] primæ magiſtratu *ad priſtinum ſtatum redacto*, ut non niſi civilis ſit, quemadmodum ante erat, quam nos illum, ſublato vicarii magiſtratu, dignitate annonaque majore decoravimus: vicarium denuo omnibus Pontici tractus provinciis præficere: *ita* [17] *vero* ut non ſolius præfecti locum adimpleat, verum etiam glorioſiſſimi magiſtri ſacrorum noſtrorum officiorum, glorioſiſſimorum etiam ducum, magnificentiſſ. denique *eorum* magiſtratuum, qui ſacro noſtro patrimonio, cubiculo etiam, & domeſticis, protectoribusque præfecti ſunt: deinde iſtiusmodi poteſtatem habet, qualem cujusque provinciæ magiſtratus in ſua provincia habere ſolet: ut neque per dignitatem, neque per ſacerdotium [18], neque per cingulum, neque per militiam, neque demum per quodcunque aliud quisquam hujus jurisdictioni eximatur: ſed ad conſimilem modum omnes illi ſubſint, ſive plebeji ſint, ſive etiam cingulo, dignitate, militia aut ſacerdotio etiam decorati fuerint, idque non in criminibus ſolum: (non enim militarem tantum hunc magiſtratum facimus) verumetiam ſi quis de re pecuniaria litem inſtituere velit. Omnibus etenim hominibus, omnimodisque rebus magiſtratum hunc communem facimus. §. 1. Reddimus autem illi, quod & antea habuit, ſacrum [19] auditorium, ut controverſiæ in aliqua Pontici tractus provincia provocatione ſuſpenſæ, dummodo quingentos aureos non exſuperent, non in felicem hanc urbem deduci, ſed apud ſeipſum ad ſacrarum formam examinari debeant, ſive ex ipſa civilium magiſtratuum jurisdictione *provenerint*, ſive etiam ex ſententiis cujuspiam magnæ hujus urbis magiſtratuum, aut ex noſtra juſſione motæ ſint. Nemini vero poteſtatem facimus, ut poſtquam provocatione ſuſpenſa [20] controverſia mota fuerit, altera [21] provocatione utatur. At ſane ſi qua controverſia ab initio apud illum cœpta ſit, eamque provocatio conſecuta fuerit, procedet provocatio quemadmodum ſolebat, antequam magiſtratum uniſſemus, tanquam ſi medio tempore nihil novi interveniſſet. Quod ſane & in Galatiæ præſide jubemus: quem ſimplicem [22] denuo magiſtratum facimus, quaſi in illo nihil medio tempore innovatum eſſet.

CAP. II.

FAcultatem etiam huic [23] vicario damus, ut [24] a vicina hac Bithynia incipiens, usque ad Armenios ipſos, Trapezunta etiam, & noſtræ reipublicæ Perſas verſus fines in quamcunque Pontici tractus provinciam velit, proficiſcatur: ut velut ab initio ac primario quæ hucusque commiſſa ſunt, competentibus pœnis perſequatur, (quorſum ſane & gladii jus illi concedimus) præcipue vero milites adoriatur ſi qui *deſertis* [25] *ſtationibus* ſuis iſtiusmodi ſe nequitiæ dediderint. Et ſi quidem criminibus obnoxium quempiam invenerit; hunc cingulo privet, qualecunque etiam habeat: non expectans donec eum magiſtratum ſub quo is militat, ea de re certiorem fecerit, tanquam qui iſtius

1 Puta pignora. 2 Argentariis datum hoc fuit, ut inexcuſſo reo convenirentur: fidejuſſores vero inexcuſſo reo non convenirent, quod inæquale admodum fuit. Hodie licet argentariis pacto in ea re ſibi proſpicere. *Novell.* 136. *cap.* 2. 3 Argentariorum officium publicam cauſam habere dicitur, *l.* 10. §. 1. *ff. de edendo*, *Nov.* 136. 4 Decimam, cujus fit hic mentio, ſolvebant, qui calumnioſe agebant, §. 1. *verſic. hæc autem. Inſt. de pœna temere litigantium.* eaque fuit ex ſtipulatu actio. Nam initio litis cavebat actor, *Ni viciſſet, reo decimam præſtitum iri*, & erat repromiſſio, non ſatisdatio, ut ex C. Hermogeniano *tit. de calumniatoribus*, conſtat. Eam actionem decimariam, non utendo amiſſam, reſtituit Juſtin. eo addito, ut decimæ cautio ſatisdationem habeat *Nov.* 112. *c.* 2. qua lege hic eximit argentarios, quibus agentibus rei repromiſſione citra ſatisdationem contenti eſſe debent. 5 Idoneis creditur. 6 Forum competens argentariorum obſerva. 7 Præfectum urbis intellige *arg. edict.* 9. J. 8 Vid. *Nov.* 136. *cap.* 3. 9 Ὀφείλοντας, ſed familiare eſt Juſtiniano hoc verbo uti, pro ὀφειλομένους.

10 *l.* 3. §. 5. *ff. quod quisque jur.* 11 Quod quisque juris in alium ſtatuerit, eodem utatur, *l.* 1. *l.* 3. *ff. quod quisque jur. l.* 3. *in fin. ff. mandati: l.* 7. *C. de reſcindenda venditione.* 12 Præfectum urbi alloquitur *arg. edict.* 9. J. 13 Id eſt, anno 542.

14 Reſtituto ſcil. quemque antea ſuſtulerat Juſtinianus, eo in Comitem Galatiæ mutato. *Novell.* 8. *cap.* 3. Vicarius ergo Pontici hic reſtituitur, cui datur jurisdictio in univerſum tractum Ponticæ diœceſeos. Quot Vicarii in Oriente fuerint, vide *l. ult. Cod. de div. off.* 15 Et ita abrogatur *Novell.* 8. *c.* 3. 16 Galatiæ primæ ſuus redditur Conſularis civilis magiſtratus. 17 Vicarius Pontici tractus, civili & militari magiſtratu fungitur, vicem agens plurium magiſtratuum. 18 Sacerdotes ſubeunt forum civile. adde *c.* 2. J. 19 Θεῖον ἀκροατήριον. 20 Appellationis proprium eſt, litem ſuſpendere. 21 Vide *l. un. ff. nihil innovari appellatione interpoſita.* 22 Ac civilem. 23 Pontico. 24 Tractus Ponticus qualis. 25 De deſerteribus vid. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 5. *ff. de re militari.*

magiſtratus locum adimpleat, & in omnes omnino jus & poteſtatem habeat. In quævis etiam loca & latifundia, ſive ad ſanctiſſ. [1] eccleſias, aut ad religioſa pertineant monaſteria, ſive etiam ad *ſacra noſtra privata*, aut ad ſacrum patrimonium, aut etiam ad noſtram domum, aditum illi & introitum concedimus: & (ut ſimpliciter loquamur) nullum omnino locum ipſius jurisdictioni eximimus.

CAP. III.

INſpectabit vero etiam militares tranſitus, an ſatis ordinatim [2] procedant: & ſi quicquam in illis committi inveniat, id corriget tum milites ipſos caſtigando, tum etiam ſubditis noſtris in quibus injuria affecti fuerint, ſatisfactionem curando. Poteſtatem item concedimus, ut armis [3] privet, qui illa ad nullam militiæ neceſſitatem habent, illaque omnia in publica magnæ hujus urbis armamentaria inferat. §. 1. Inhibebit etiam adulteria, homicidia, latrocinia, præcipue vero mulierum raptus, rerum ereptiones, infeſtationes etiam & vim, denique univerſum iſtiusmodi delictorum cumulum, tanquam id præcipuum a nobis illi aſſignati magiſtratus caput ſit. Refrænabit quoque injurias, ſive ſacerdotes, ſive magiſtratus ſint, ſive etiam nobiles, ſive plebeji: neque cuiquam quod leges noſtræ non probent, facere permittet. §. 2. Suſtinebit autem controverſiarum & examinationes & dijudicationes, habebitque propriam cohortem virorum vicarianorum ſeptuaginta [4], qui per ſacra noſtra probatoria ſtipendia facient, quæ ex illo ſcrinio præbebuntur, ex quo & olim ſolebant quum vicarius eſſet. Reddimus illi mulas [5] etiam, quot quondam vicario aſſignatas, nunc provinciæ præſes in uſus ſuos & miniſterium percepit. Quum enim hic aliud quam civilis magiſtratus ſit, ſuperfluus ipſi illarum uſus eſt: ſpectabili vero vicario, ut qui hac illac circumcurſare debeat, neceſſarium illarum miniſterium eſt. §. 3. Obediet [6] vero ipſi univerſus in illis locis conſtitutus exercitus, dictoque illi audientes erunt domeſtici & protectores, ſcholares etiam & milites: ita ut præſidali mandato noſtrove juſſu non indigeant, ſed ipſi jure magiſtratus obedientiam miniſteriumque præſtent. Præſtabunt autem miniſterium quo loco degunt, extra quam ſi qua juſta inevitabilisque neceſſitas, majoris auxilii indiga, ipſum huc adigat, ut ex uno loco in alium transferre *ipſos* neceſſe habeat. §. 4. Utetur porro præconis voce [7], & lampadibus [8] quatuor, quippe cum in hanc rem ſumptus a nobis conſtitutus ſit; quin & aliis omnibus, quæcunque civilis ſimul & militaris magiſtratus ſunt, inſigniis. Unde ad glorioſiſſimorum noſtrorum ducum imitationem, & adreſponſum [9] miniſtrare illi jubemus: per quos milites, ſi quando ita tempus poſtulabit, compeſcet, & in neceſſariis rerum miniſteriis ac officio continebit. Quantum vero illi, aſſeſſori quoque ejus, & cohorti annonarum nomine aſſignaverimus: quantum etiam de reliquo Galatiæ primæ præſidem pro ſe, aſſeſſore ſuo, & obediente ipſi cohorte habere oporteat: item quantum ipſum aut in ſacro noſtro palatio, aut in religioſiſſimorum præfectorum prætorio pro magiſtratus codicillis dare conveniat, per ſubjectam deſcriptionem omnibus fiet manifeſtum. Hunc autem nos magiſtratum illis locis reddimus, ut iis qui injuria afficiuntur in promptu auxilium eſſet, omnesque qui in illis locis habitant, quibus hactenus preſſi ſunt difficultatibus liberarentur: & vero quiete ac recta legum moderatione fruerentur, magiſtratuum opera, quos tales illis locis præfecimus, ut ad omnem injuriam, ac aliena invadendi cupiditatem reprimendam ſufficere queant.

EPILOGUS.

† Hæc igitur gloriæ tuæ manifeſta facere viſum eſt, quo ipſa cognoſcens quid hac de re nobis nunc placuerit, id in omne deinceps tempus obſervet: & quemadmodum in ſubjecta a nobis deſcriptione comprehenditur, annonas illi præbeat. Dat. 15. Kalend. Octob. *Conſtantinop.* Imp. DN. JUST. PP. Aug. Anno XXV. [10] poſt BASIL. V. C. CONS. Anno VI.

EDICTUM IX.

DE ARGENTARIORUM CONTRACTIBUS [11].

Imperator Juſtin. Aug. Triboniano præfecto urbis.

PRÆFATIO.

COmmune collegii [12] argentariorum qui in hac magna urbe ſunt, libello ſupplici a potentia noſtra petiit, ut ſupra alia omnia quæ ipſis munifice largiti ſumus, alio nunc etiam modo ſibi opitulari velimus. Expoſuerunt autem quomodo nonnulli, quum debuerint, aut etiam debeant, quando pecuniæ aut res ab ipſis repetuntur, quod ſolvendo non ſint, a ſe petant ut puras ſponſiones pro ipſis ſubeant: & alias quidem hoc ipſum in obligatoriis ſchedulis conſcribant, alias vero, propter contrahentis fidem, & ſine ſcripto hoc facere ſibi mandent: ipſi autem, illorum petitionibus cedentes, iis qui illis moleſti ſunt, certum tempus conſtituant, intra quod ſponſor omnino debitum transfundat: ſe *itaque ad hunc modum* illis ſpondere, ac deinde ad diem liberaliter iis qui ſponſiones ſuſceperunt ſatisfacere: debitores *autem interea*, quaſi per ſponſiones ſatis caverint, aut mutui forte ſyngraphas obligationisque ſuæ ſchedulas recipere, aut apochas capere. *quomodo item* multi quum parare ſibi rem aliquam voluerint aut velint, ſibi mandent, ut pro ipſis pecuniam aut rem aliquam ſe daturos ſpondeant: & illis quidem quod affectarint, obtingat: ipſi vero prompte pecunias aut res transfundant: *denique quomodo quum* ita ſimpliciter mandantibus illis ſponſiones fiant, pecunias tamen aut res non aliter ſolvere velint quam qui ſponſionem accepit, pecunias aut res oſtendat, aut eas *ſe* accepiſſe probet. *unde quum* ipſi pecunias aut res dederint, quod illi probationes, pecunias aut res datas eſſe depoſcant, poſtmodum contentionibus ac controverſiis irretiantur. Quæ res ſimul in præteritis, ſimul in futuris ſane quam perplexa illis eſt & formidabilis, imo & impoſſibilis. Quinam eorum enim pro quibus aut pecuniæ aut res ſponſæ fuerint, vel ſpondentur, *quando is cui ſponſæ fuerint*, quæ data ſunt oſtendere, aut ea ſe accepiſſe, acta probare *debeat*: ad eam *tergiverſationem* devenire non velit? *Ac idcirco* perſæpe ſe fatigatos aliis cedere actiones: neque hæc ſibi actionem intendentibus opponi ſolum, verum etiam quibus actiones ceſſæ ſunt aut cedantur. Ac vero petierunt, ut ab hac difficultate liberentur: ut etiam ſi quidem *nulla* omnino *appoſita conditione* pure mandatum factum ſit, aut fiat, ut pecunias aut res intra certum tempus transfundant, præfinitum tempus elapſum ſit, mandator ſibi, & quibus a ſe actiones ceſſæ ſunt, aut etiam ceduntur, ad debiti perſolutionem teneatur: idque non ſolum ſi hoc interveniente ſcriptura mandaverit, verumetiam ſi ſine ſcripto totum negotium confectum ſit.

CAP. I.

NOs ergo ſuccurrere iſti rei volentes (cum omni æquitate tamen & juſtitia, atque ut in poſterum omnibus citra periculum hæc procedant) ſtatuimus, ne aliter [13] ipſi ſponſiones ſubire velint quam ſcripto comprehenſum ipſis mandatum detur, quod quomodo quamque rem fieri oporteat, luculenter explicet: ne ex bona *ſcilicet* fide in evidens exitium manifeſte incidant. Verum ſi quo modo ſcriptura non interveniente mandatum factum ſit, tempus autem determinatum ſit, & tacuerit per omne tempus ille pro quo ſponſio facta eſt, neque querelam moverit: decurrat vero etiam conſtitutum tempus, neque tum demum intra alios duos menſes hoc ipſum in querelam deduxerit: omnibus modis mandator ſolvat ſponſori debitum, quod ex ipſius voluntate ab aliquo eorum qui argentariæ menſæ præpoſiti ſunt, ſponſum eſſe contigerit: & neque ipſis, neque ipſorum heredibus, aut quibus ceſſæ ab ipſis ſunt vel cedantur actiones, ullum omnino oppoſitum opponi queat: ut ſi illud obtineat quod mandati oſtenderit tenor: qui quidem ſi literis comprehenſus ſit, literas judex ſequetur: ſin in literas contractus relatus non ſit, probationibus ea de re ſecundum leges prolatis inſiſtet. Atque hæc quidem teneant, & in jam factis ad hunc modum, & in faciendis etiamnum ſponſionibus.

CAP. II.

SI quis vero ipſis interveniente ſcriptura, aut ſine ea, famulatus [14] promiſſus fuerit, aut promittatur, probatio vero aut ex ſcripto [15], aut ex teſtium fide ſufficiens & legitima producatur, hunc ſuam vim obtinere volumus, & ut quod pacto convenerit, exigi poſſit, ita ut nulla prorſus lex obſiſtere queat, quæ [16] id gratis & non pro mercede fieri oporteat: propterea quod omnis [17] illis ex eo vivendi facultas pendeat, quod uſuras pendant, quod mercedem pro habitatione dent, & velut propugnaculum communi utilitati ſint: ut ne quidem ſentiant, neque alimonia deſtituantur, ſed hanc habeant ſuorum laborum conſolationem. §. 1. Sane ſi vel rationes, vel mutuas [18] ſyngraphas, vel propriæ [19] manus ſcripta quæpiam ediderint, edantve, aut ipſi illis qui cum ipſis contrahunt, aut ipſis illi, in quibus pecuniarum illatio & ſolutio deſcripta ſunt, quæque ipſius menſæ præpoſiti, ipſius etiam amanuenſis, (quos Samaritanos [20] vocant) & cum ipſis rurſum qui cum ipſis contraxerunt, literæ præferunt, aut per omnia illius qui cum ipſis contraxit, manu ſcripta ſunt, ſubſcriptionemve habent: non poterunt qui cum ipſis contraxerunt, pecuniarum quidem illationem, quam argentarii in [illegible] bus deſcripſerunt, agnoſcere [illegible] tuere: ex[illegible] ptionem [illegible] ſiti ſolutionem [illegible]. §. 2. Verum [illegible] propriæ manus [illegible] veritas, utrumque omnino firmum & ratum erit: neque unum quidem adverſus ipſos obtinebit: alterum vero pro ipſis irritum fuerit. Eligetur autem [illegible] pars in calculo [21] ſe erraſſe, aut in uſuris [22] diſpendium ſuſtinuiſſe demonſtret. Si enim tale quiddam evidenter commonſtretur, id, quo quisque juſtitia & æquitate fruatur, correctione dignandum eſſe ſtatuimus.

CAP. III.

HOc vero etiam nos docuerunt, quomodo quidam illorum, quam a pluribus aut vice mutua inter ſe fidejubentibus, aut aliis pro aliis mandantibus, [illegible] debiti longe maximam partem percepiſſent, ut reliqua perquam jam exigua eſſent, reliquorum nomine [illegible] lorum obligationes [illegible] apochas forte aut liberationis [illegible] aut unum aut plures eorum qui reliquorum obligationem [illegible] mori contigiſſet, heredes quæ ab illo aut ab illis pecuniæ promiſſæ eſſent, eas exolvere noluerint. Statuimus igitur, ut ſi hæc ita ſeſe habeant, quæ pecuniæ in obligationibus comprehenſæ ſunt, & quas defunctus aut defuncti ſcripto pacti fuerint, hæ ab heredibus [23] cum pactis uſuris exigantur.

1 Eccleſiæ non ſunt immunes a jurisdictione civili, adde *c.* 1. ℑ. *h. t.* 2 *Nov.* 130. 3 Adde *Nov.* 85. *cap.* 4. 4 Cohors vicarii Pontici. 5 Quibus forte utebantur ad curſum publicum. 6 Obedientia magiſtratibus debetur *Nov.* 69. 7 Κήρυκος φωνῇ, *Scrimg.* id eſt, præconem intelligit. Præco, vox legum, ut & carnifex manus legum. qua de re dixi ad *Nov.* 69. *cap.* 3. 8 Λαμπάσι. *Scrimg.* Lampadariorum meminit *Novell.* 41. & Julian. *conſt.* 38. *n.* 171. Lampadarii forte hic dicuntur, quod ignem præferrent. Dicuntur & Lampadarii, qui in ſacris ſcriniis faces ſive lampades accendebant, *l. ult. C. de diverſ. officiis.* De Lampadariis edidit Theodoſius Novellam quam amiſimus. Ignis certe præferendi ante Reges Perſarum mos antiquus fuit. *Xenophon* 8. mos [illegible]

Cæſarum ſolennitatibus, *Tertull.* [illegible] 9 De adreſponſo ſæpe alias dixi. 10 Id eſt, 551.

11 Vide Edict. [illegible] 12 Collegii argentariorum fit mentio [illegible] 13 Cautio hæc argentariis [illegible] 14 [illegible] 15 Probationes fiunt vel Scripto, vel teſtibus. 16 [illegible] 17 Argentariorum vita [illegible] 18 [illegible] 19 [illegible] 20 Σαμαρείτας. [illegible] 21 [illegible] 22 [illegible] 23 Heredes [illegible]

CAP. IV.

QUod ſi qui datis pignoribus ab illis mutuati fuerint, aut mutuentur, deinde etiam in mutui ſyngraphis permiſerint aut permittant [1], ut pignoribus pro ipſorum bona fide divenditis, eorum pretium in debiti ſolutionem imputaretur [2]: ipſi vero hoc fecerint: ne moleſtiis illi implicentur, neque propter hoc negotia ſuſtineant: ſed juratis quanti pignora vendiderint, credatur: idque ipſis ad omnis improbitatis abolitionem ſuppeditet. At ſi quis non interveniente ſcriptura mutuatus, pignora obſignata aut non obſignata det, neceſſe habebit qui mutuatus eſt, ut aut pignora recipiat, agnoſcens [3] ſigilla: vel ipſa etiam pignora non obſignata, & adimpleat ſortem pactasque uſuras: aut ſi pecunias non habet, ad juſtam æſtimationem illa relinquat, & reliqua expleat. neque dicere poterit, pignoribus, quanquam minus [4] valeant creditorem contentum eſſe oportere: ſed omne debitum quod cum pactis uſuris in rationem deductum fuerit, omnibus modis adimplebit. Si vero datis pignoribus, ſive obſignatis, ſive non obſignatis, mutuationi tempus præfinitum ſit, ac intra id non ſatisfiat, tantumque elabatur alterum: liceat ipſis, præſentibus [5] tabulariis, ſacrisque eloquiis in medium propoſitis, & æſtimatoribus adhibitis, diligenti æſtimatione facta illorum pretium conſtituere, ac ſive ad plenum debitum, ſive ad ejus aliquam partem ſufficiant, ſibi imputare atque aſſignare.

CAP. V.

HUic ſane etiam medicinam adhiberi cupierunt, ut quoniam [6] mutuo & dando & accipiendo, pro aliis etiam ſpondendo, & denique uſuras pendendo vitam tolerent, ne ipſis in mutuationibus noſtra opponatur conſtitutio [7], qua nemini ultra duplum accipere quicquam permittimus, ſi quidem quantum ſors & uſuræ faciant, perſolutum ſit. Nos igitur in poſterum eam legem omnino violari nolumus: quod vero præceſſit, quia nondum inſidiis obnoxium ſit, huic ipſis medentes ſancimus ut in contractibus, qui revera argentariorum ſunt, ad hodiernum diem factis, facultas ipſis ſit, ut licet in iis debitis uſuræ ſupra duplum datæ ſint, nihilominus tamen quæ debentur cum conſtitutis uſuris exigant: ita ut neque in uſuras, neque in primitivum debitum quæ ſupra ſortem jam ſoluta ſunt, imputare compellantur: & ne ipſis in hac ſpecie & quidem ſola noſtra de duplo conſtitutio obſtet, quominus ſecundum contractuum naturam hæc exigant. Verum neque ipſi adverſus eos qui cum ipſis jam contraxerunt, noſtra conſtitutione abuti, neque imputare poterunt ſolutas jam uſuras aut duplo uſurarum, aut primitivo debito.

CAP. VI.

QUandoquidem vero poſtquam argentariæ menſæ Præpoſitis excepta [8] armata militia, cum omnibus aliis militiis in hac alma urbe commercium inſtituere permiſimus: illique deinde quum mutuum dediſſent, aut etiam darent, Beſſales [9] uſuras (quantas argentariis conceſſimus) ſtipulati ſint: hi liberaliter hoc ipſis opponant, quod dicant, ipſos non quæ argentariis, ſed quæ militantibus conveniant, uſuras capere oportere: hanc eorum iniquam & improbiſſimam objectionem vacare nulliusque momenti eſſe, & quæ pacto convenerint, aut etiam conveniant, obtinere volumus. §. 1. Neque vero id nobis placet, quod de argentariorum contractibus nonnulli petunt, ut omnino non dentur aut ſortes aut uſuræ, vel id (quod iis etiam pejus eſt) ut quæ legitimæ uſuræ dantur, ſorti imputentur. Etenim hoc quoque in contractibus qui cum argentariis initi ſunt aut ineuntur, obtinere volumus.

CAP. VII.

UNum certe & hoc eorum eſt, quæ illi inter ſupplicandum propoſuerunt, quod perſæpe nonnulli qui ipſis obnoxii ſunt, quum illi alios obnoxios habeant, ab iſtis ſibi non ſatisfaciant: ſed id ſuis uxoribus [10] ſolvendum prætextu dotis, eorumve quæ præter dotem data eſſent, aut aliorum etiam debitorum, ab iisque apochas ſive ſolutionis probationes ferendas curent: & quod quum illi ad inopiam devenerint aut deveniant, vel mortui ſint etiam, aut poſtmodum moriantur: ipſi vero cum debitum accipere velint: uxores, licet latenter illa acceperint, aut poſtea accepturæ ſint, integra tamen ipſis debita opponant, ut ipſorum prorſus omnis ſpes concidat: petierunt autem, ut ſi quid iſtiusmodi factum ſit, aut poſthac (ut conſentaneum eſt) fiat, neceſſe habeant qui apochas liberationemve a mulieribus acceperint, aut etiamſi quis contractus factus ſit, aut omnino faciendus eſt, heredibus ad probationem eorum quæ geſta ſunt *devocatis*, *eas eumve* proferant, ne uxores quibus nihil debetur, emolumentum ſentiant: ipſi vero quibus debetur, defraudentur. Statuimus *nos vero*, ut ſi tale quidpiam factum ſit, aut fiet, neceſſario illi inſtrumenta proferant: attamen abſque omni ſuo incommodo, & ut nullum damnum ex prolatione ſuſtineant: (memores enim ſumus noſtræ [11] conſtitutionis, quæ adactas literarum, ex quibus quis jus quodpiam ſuum tueatur, prolationes innoxias [12] iis qui proferunt, eſſe vult,) ſed proferant illi quidem inſtrumenta, & recipiant. Et ſi quidem inde aliquam utilitatem, qui adverſus mulieres prolationem fieri coëgerint, habere poſſint, hanc ſecundum legem ex ipſis ſentiant, nulloque prorſus damno, qui protulerint, ob prolationem afficiantur. §. 1. Quod ſi mutuis ſyngraphis cum aliquo pacta, liberationes, aut etiam qualescunque conventiones inſtituerint, aut poſthac etiam inſtituant, & quæ apud ipſos manſerint modo aliquo (quod facile eſt) perierint: volumus, ut qui adverſarias ſyngraphas habent, eas proferre, aut ſi nihil iſtiusmodi habere vel proferre poſſe, jusjurandum dare cogantur. Quod jusjurandum ubi apud acta monumentorum præſtitum fuerit, non ulterius illos moleſtia affici oportet. Nemo vero in *exigendis* ſportulis [13] judicialibusque expenſis, pœnam, quæ talia committentibus imminet, reveritus, conſtitutionis noſtræ modum tranſcendat.

CAP. VIII.

QUoniam deinceps quando petere ſemel cœpiſſent, hoc etiam petierunt, ut tua [14] excellentia curam ipſorum ſuſcipiat, quibusque ipſi controverſiis impetuntur, eas audiat; & ſi quos obligatos habeant, aut alii ipſos, his velut peculiaris [15] judex audientiam præbeat (propterea quod exacta cura quæ ad leges pertinent tractes, ac cuique ſuum jus tribuas, & facile rationem invenias qua quæ valde difficilia videntur, quæ alii non aſſequuntur nec intelligunt, diſſolvi queant) ſancimus ut ſecundum ea quæ a nobis conſtituta ſunt, & ipſos, ſive actores ſive reos, in peculiaris judicis modum audias, & præterita ſecundum hanc legem componas, & quomodo æquum eſſe videbitur, futuris curam adhibeas: ut legitimum quoddam ipſis ac decens a nobis accedat auxilium. Convenit enim, ut qui pro omnibus ſe obſtringunt, ac cuique utiles ſe exhibere ſtudent, eximio etiam aliquo fruantur auxilio. Et certe quæcunque & hoc tempore & olim, aut ex noſtris legibus, aut ex ſacris pragmaticis formis conceſſa ipſis ſunt, illæſa rataque conſervantor: ac in ſpeciebus rerum jam geſtarum atque etiam gerendarum, locum habento.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, ac per hanc ſacram pragmaticam declarantur legem, ea gloria tua, & quicunque alius reipublicæ noſtræ judex, firma ſervato.

EDICTUM X.

DE [16] APPARITORIBUS PRÆSIDUM.

PRÆFATIO.

CUjusmodi inſidias provinciales apparitores [17] ſeu cohortales fiſco ſtruant, perſæpe ex ipſis rebus didicimus.

CAP. I.

POſteaquam autem & hoc unum ipſorum audaciæ caput eſſe edocti ſumus, quod fiſcalia involent, ac deinde in ſacris [18] locis ſe occultent, hac ratione meritas pœnas ſe effugituros exiſtimantes: ſtatuimus (id quod & Dei amantiſſimis provinciarum epiſcopis ſcripſimus) ut ſi qui illorum in ſacra ſepta confugiant, in poteſtate tuæ excellentiæ ſit, ut hos ex illa provincia exire, & in quocunque velis loco eſſe jubeas: hoc adjecto, ut Dei amantiſſimi epiſcopi neceſſe habeant, ut illos ex ſacris locis producant: ubi tamen fidem [19] publicam acceperint, ſe ex illis locis unde diſcedunt, ſine aliqua diſtorſione a publicis miniſtris ad conſtituta loca ducendos eſſe. Ad hunc igitur modum in cohortales excellentia tua imperio utitor. Illud ſane etiam Dei amantiſſimis *epiſcopis & religioſiſſimis* ipſorum clericis interminati ſumus, ne e provincia data [20] fide publica illos ejicere, & in conſtituta loca cum fide publica ducere velint: *ob* ſacrorum autem fortaſſe locorum *privilegium illos* illic morari *ſinant*: ipſos de ſuo, minime vero de eccleſiaſticis proventibus fiſco indemnitatem præſtituros, neque a ſacerdotii ademptione liberos futuros.

EPILOGUS.

† Tua igitur excellentia, quæ nobis placuerunt, quæque per hanc ſacram pragmaticam exprimuntur formam, effectui ſimul & fini tradere ſtudeto.

EDICTUM XI.

UT PONDERATORES [21] ET MONETARII [22] APUD ÆGYPTIOS QUICQUAM PRO OBRYZO [23] EXIGENDI, NULLAM DE RELIQUO FACULTATEM HABEANT: SED QUEMADMODUM IN MAGNA HAC URBE, ITA ILLIC QUOQUE SIGNATUM AURUM ÆSTIMETUR: ET ILLI SIGNA PRO PONDERE, QUOD IN SIGNATURA SERVATUM EST, IMPONANT.

Idem Imperator Petro glorioſiſſimo ſacrorum Orientalium prætoriorum iterum præfecto, iterum etiam ſacrarum largitionum comiti, & exconſuli.

PRÆFATIO.

QUod obryzum [24] apud Ægyptios ſermone hominum celebre eſt, quod idem, ſuperioribus ſeculis, cum prorſus incognitum fuiſſet, admodum nuper in Ægypto contractus involvere & turbare cœpit: ad tantamque abſurditatem proceſſit, ut in unamquamque libram noveni aurei dentur, in poſterum reprimi, ac ex communi uſu tolli oportere putavimus. Ideo id autem, ne rempublicam oblædat, neu ſubditorum contractus obturbet, ac involvat: præcipue vero quod hujus abſurditatis longe maxima pars (quantum cognoſcere potuimus) in ipſa Alexandria ſolum conſederit, neque ſimiliter per Ægyptum aut illius tractus alias civitates in publicum uſum pervenerit.

CAP. I.

SAncimus itaque, ut ſecundum id quod olim obtinuit, tametſi mediis poſtmodum temporibus in ſignatura quæ apud Alexandrinos abſoluta dicitur, vitiatum ſit, in Ægyptiaco tractu de auri tractatione & valore ſtatuatur: ita ut non poſſit a quoquam pro male adinvento atque excogitato obryzo quicquam exigi. §. 1. Item, ut quod aurum per Ægyptum ratum & receptum eſt, ſic in contractibus computetur, quomodo quod in hac magna ſignatum eſt urbe: idque peri-

1 Permittere argentario debitor poteſt, ut pignora citra ſolennitatem vendat, pretiumque venditionis redactum ſorti imputet. 2 Quod ex pretio pignoris venditi creditor capit, in debitum imputare tenetur. Pretium pignoris acceptum, ſorti imputatur, vide *l.* 2. *C. de partu pignoris & omni cauſa.* 3 Actionis genus obſerva, ut debitor ſigillum ſuum agnoſcat. 4 Ad juſtam quantitatem ſortis & uſurarum ſæpe debitores pignus dare ſolent: interdum pignus ſortem exuperat, interdum non exuperat. Quemadmodum ergo quod ſupereſt, non cedit lucro creditoris: ita quod deficit, non cedit in ejus detrimentum. *l.* 8. *in fin. Cod. de pignorib. l.* 28. *ff. de rebus creditis.* 5 Conjunge *l.* 1. §. 36. *ff. depoſiti.* 6 Vita argentariorum in quibus conſiſtat. 7 *Nov.* 138. 8 Argentariis urbanis interdictum commercium cum militibus armatæ militiæ. 9 Argentariorum uſuræ ſunt beſſes ſeu beſſales, *à huict pour cent.* 10 *Edicto* 7. *c.* 7. *ſupr.* 11 *l. ult. C. de fide inſtrumentorum.* 12 Qui coactus inſtrumentum protulit, non eſt eo onerandus. 13 Vide *l.* 1. *l. ult. C. de ſportul.* 14 Præfectum urbis alloquitur. 15 Judex argentariorum competens, præfectus prætorio *Edict.* 7. *cap.* 6. *ſupr. h. t.*

16 Περὶ ταξεωτῶν. *Scrimg.* 17 Βουλευτῶν. *Scrimg.* id eſt, provinciales decuriones. 18 Iniqui apparitores judicis, non fruuntur jure aſyli, facit *Nov.* 17. *c.* 7. §. 1. *Nov.* 128. *c.* 13. *l.* 6. §. 4. *C. de his, qui ad eccleſ.* 19 Τὸν καλούμενον λαμβάνοντα λόγον. *Scrimg.* ut alibi, λόγον λαμβάνοντα. *Novell.* 123. *cap.* 35. διδόναι τὴν καλουμένην πίστιν. *Nov.* 5. *cap.* 2. §. 1. ſacramenti interventionem *l.* 6. §. 4. *C. de his qui ad eccleſ. après luy avoir donné parole.* facit *Edict.* 2. ℑ. 20 Μετὰ τοῦ λόγου πίστεως. Scrimg.

21 Græci ζυγοστάτας. Scrimg. *hic. l. ult. C. de pond.* adde *Cod. Theod. de ponderatorib.* de quib. ℑ. *hic* dicam. 22 Græci χρυσώνας. Scrimg. 23 Ὑπὲρ ὀβρύζης. *Scr. de quo* ℑ. *dicam.* 24 Ὄβρυζαν. *Scrimg.* Sic in quadam lege Caroli Magni Aurum ad obruſſam. Dicitur etiam ὄβρυζον in neutro, ut in Baſilicis. capitaliter punitur, qui τὰ παλαιὰ ὄβρυζα dixerit viliora. Obryzum Hieronymus quaſi ophiriſum *ex Ophira* (quam nonnulli putant hodie vocari *le Peru*) *inſula* Iſid. 16. *c.* 17. quod obradiet ſplendore. Eſt enim coloris optimi. quod Hebræi *Ophax*, Græce cairon (lege καθαρὸν) vocant, aliis, obryzum quaſi ἄβρυζον, id eſt, purum & ſincerum. Ab obryzo obryziati ſolidi ex auro excoctiſſimo *l.* 1. *C. Th. de ponderatoribus. l.* 2. *C. ut nemini liceat in coëmpt. l. ult. Cod. de veteris numiſm. poteſt. l. un. Cod. de oblation. votor.* Suet. *in Ner.* 44. *in fin.* Obryzæ incrementum, *l.* 4. *C. Th. de auro coron.*